



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 11. An ille specialiter obligetur præcepto eliciendi fidem, qui per hæresin vel aliud peccatum infidelitatis amisit habitum fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

qui fidem christianam toto corde amplexus est, plusquam sufficienter satisfaciatur præcepto fidei.

52 *Q.* 11: *An ille specialiter obligetur præcepto elicendi fidem, qui per hæresim vel aliud peccatum infidelitatis amisit habitum fidei.* *R.* Affirmat cum aliis multis *Ovied. cont.* 7. n. 69., & probabiliter, si enim teneatur adultus, qui nunquam credidit, multò magis talis, qui fidem propriâ culpâ abiecit: tenetur autem de præfenti five primo quoque tempore, quia quando præcepta non determinant tempus, censentur obligare pro præfenti, uti l. 1. n. 587. dictum est. Cur autem non sit similis obligatio ad statim pœnitendum post peccatum, dicetur de pœnit: & videri potest *Arr. d.* 12. à n. 23.

53 *Q.* 12. *Quid addendum sit circa obligationem professionis fidei.* *R.* Hoc unicum, nempe præceptum, quo ex *Bulla Pii V.* tenentur facere professionem fidei omnes promovendi in Doctores, Magistros, Professores, à Congregatione Cardinalium extensum esse etiam ad eos, qui docent Grammaticam aliasque artes liberales, licet eas non tradant in scholis publicis, ideoque observari debet, ubi usu receptum est.

Q. 13: *An præceptum affirmativum credendi sit naturale an positivum.* *R.* In quantum obligat ex virtute fidei, dicunt *Hurt:* & alii cum *Ovied.* n. 66 esse tantùm positivum divinum; docet tamen valde probabiliter *Lug. d.* 13. à n. 2. saltem obligationem juris naturalis esse, ut in communi credatur, quod Deus dicit, supposito quòd aliquid dicat, adeoque præceptum credendi esse etiam naturale, non eo sensu, quasi sequatur ex constitutione naturæ secundùm se consideratæ, sed
quia